Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

De vita christiana - Cod. Aug. pap. 142

Guilelmus <Arvernus>

[Reichenau], [15. Jahrh.]

Sermones

urn:nbn:de:bsz:31-90922

Visual Library

Inter actus apostolorum que nobis hodie lecta sunt dilectissimi
fratres id plurimum habet in ipsa specie admirationis non minus
continet in misterio dignitatis. Ecce inquit beatus Stephanus
video celos apertos et filium hominis stantem ad dexteram vir-
tutis dei. Considerate atque dilectissimi fratres cur beatus martir dominum
nostrum Ihesum Christum quem ad dexteram dei patris stare vidisset cur se filium
hominis vidisse testatus est et non potius filium dei cum utique plus honoris
domino delatus videretur si se dei potius quam hominis filium videre dixisset.
Sed certa ratione populabat ut hunc ita ostenderet in celo et predica-
ret in mundo. Hoc enim iudeorum scandalum in hoc erat cur dominus
noster Ihesus Christus qui secundum carnem erat filius hominis esse etiam dei filius diceretur.
Ideo enim pulchre divina scriptura filium hominis ad dexteram dei patris
stare memorauit ut ad confundendam iudeorum incredulitatem illum monstraret
ostenderet in celo qui a perfidis negabatur in mundo et illi testimonium
celestis virtus daret cui fidem terrena impietas derogaret.
In huius iuncta psalmum qui lectus est preciosa est in conspectu domini mors
sanctorum eius. Si quid tamen distare inter martires potest precipuus vir iste
qui primus est. Nam cum sanctus Stephanus ab apostolis dyaconus ordina-
tus sit apostolos ipsos beata ac triumphali morte precessit. Ut sit qui
erat inferior ordine primus factus est passione et qui erat discipulus gradu
magister cepit esse martirio complens illud quod beatus propheta in psalmo
qui lectus est dixit. Quid retribuam domino pro omnibus que retribuit michi.
Retribuere enim primus voluit Stephanus martir domino quod cum omni
humano genere accepit a domino. Mortem enim quam salvator dignatus est
pro omnibus pati hanc ille primus reddidit salvatori suo. Positis
genibus beatus Stephanus clamavit dicens. Domine ne statuas
illis hoc peccatum. Videte dilectissimi fratres affectum beati viri videte
magnam et admirabilem caritatem. Pro persecutore potius erat et pro
persequentibus supplicabat atque in illa lapidum ruina cum alius
diffluisset orabat etiam crudelissimos suos. Ille domino commendabat ini-
micos. Quid enim dicebat cum lapidaretur. Domine ne statuas
illis hoc peccatum. Plus itaque tunc illorum dolebat peccata quam sua vulnera.
plus illorum impietatem quam suam mortem. Et recte plus. In illorum
quippe iniquitate erant multa que debebant plangi in illius
autem morte non erat quod debuisset doleri. Illorum impietatem mors
sequebatur eterna. Huius autem mortem vita perpetua comitatur

Ergo in quantum dilectissimi fratres tanti magistri fide. ea pietati nostris cum te
diligamus nos hoc alio in caritate fratres nostros. quomodo ille tunc dilexit
inimicos suos. Sed quod peius est aliquotiens non solum inimicos non
diligimus. sed nec amicis quidem fidem integram custodimus. Sed dicat
aliquis. Non possum diligere inimicum meum. quem cotidie velut hostem
patior crudelissimum. O homo qui attendis ille es attendis quid tibi fecerit homo.
et non consideras quid tu feceris deo. Cum enim tu multo graviora
in deum peccata commiseris. quare non dimittis homini parva. ut tibi deus
dignetur dimittere multa. Recole quid tibi in evangelio veritas
ipsa promiserit. et quasi tibi quodammodo cautionem fecerit vel quale
tecum pactum inierit. Si enim inquit dimiseritis hominibus peccata eorum.
dimittet et vobis pater vester celestis peccata vestra. Si autem non dimiseritis.
nec pater vester dimittet delicta vestra etc. Videtis fratres quia causa tua
tota in potestate nostra positum est. qualiter a domino iudicemur. Si inquit
dimiseritis. dimittet vobis. Iam sepe dixi fratres et frequenter dicere
debeo. nemo se seducat quia qui vel unum hominem in hoc mundo cum odio
habet. quicquid deo in operibus bonis obtulerit totum perdet quia non mentitur
paulus apostolus dicens. Si dedero omnes facultates meas in cibos
pauperum. et si tradidero corpus meum ut ardeam. caritatem autem non ha-
buero. nichil mihi prodest. Quia vere etiam beatus Iohannes confirmat dicens.
Omnis qui non diligit fratrem suum. manet in morte. Et iterum. Qui
fratrem suum odit homicida est. Hoc loco fratres omnes homines debemus intelligi-
mus omnes enim in Christo fratres sumus. Nemo itaque sine caritate de virginitate
presumat. nemo de ieiuniis. nemo de orationibus confidat quia quamdiu
inimicitiam in corde tenuerit. neque istis neque aliis quibuslibet bonis
operibus placere sibi deum poterit. Sed si vult sibi habere propicium deum.
non dedignetur audire consilium domini. Audiat non me. sed ipsum dominum
suum. Si inquit offers munus tuum ad altare. et ibi recordatus fueris
quia frater tuus habet aliquid adversum te. relinque ibi munus tuum ante altare.
et vade prius reconciliari fratri tuo. et tunc veniens offeres munus tuum.
Et nos pugnas habentes interius et dolos in corde versantes.
quasi qui bonam conscienciam habeamus presumimus accedere ad altare. non
timentes quod scriptum est. Qui manducat et bibit indigne. iudicium
sibi manducat et bibit etc. Sed forte dicit aliquis. Grandis labor est
inimicos diligere. pro persecutoribus supplicare. Et nos negare
fratres non possumus quidem labor est in hoc seculo. sed grande erit premium in
futuro. Per amorem enim hominis inimici efficieris amicus dei. immo non
solum amicus. sed etiam filius. sicut ipse dominus dixit. Diligite inimicos

vros · benefacite hiis qui oderunt vos · ut sitis filii patris vestri qui in
celis est · Si te aliquis homo dives magnus potens vellet adoptivum
filium facere · quomodo currere · quo in dignitatem eius eorum cuius · quam iniuria
durissima et aliquando eciam turpissima sustineres quia · ut ad
caducam et fragilem hereditatem illius pervenires · Quod ergo alius
sustinet propter substanciam terrenam · tu sustine propter vitam eternam · Con-
vincimur enim certissima racione · quod propter deum possumus quidem
sed nolumus iniurias sustinere · Denique si nobis aliquis potens persona
iniuriam faciat · si nobis eciam in faciem maledicat · non respondere
aliquid aperte non dicam sed nec vice reddere audemus · Quare hoc
nisi ab illa persona potente · adhuc maiora quam pertulimus paciamur ·
Quod a nobis extorquet hominis timor · debuerat a nobis exigere
christi amor · Si ergo potens persona facit quod nos taceamus et nichil
dicere ausi sumus · si vero aut equalis aut forte inferior ut leviorem
nobis contumeliam fecerit · quasi fere bestie sine ulla paciencia at sine aliqua
dei contemplacione consurgimus · et aut in presenti maiorem iniuriam vindicamus
aut certe ad maiorem vicem reddendam nostrum animum preparamus ·
Quid est hoc quod cum potens persona nobis iniuriam infert pacienter accipimus ·
cum inferior nimio furore succendimur · Quia id timemus hominem
hic deum timere nolumus · Unde ergo nos fratres quantum possumus cum dei
adiutorio corda nostra ad pacienciam preparemus · et in omnibus malis hominibus
mediocrem vitam agere studeamus · et non ipsos homines sed ipsorum
maliciam odio habeamus · pro bonis oremus ut semper ad me-
liora concedant · pro malis ut cito ad emendacionem vite et penitencie
lamenta confugiant · Quod vobis orantibus vobis ipse prestare dignetur ·
qui cum patre et spiritu sancto vivit et regnat deus in secula seculorum Amen etc.